IVLIVS PP. III.

Dilecte fili salutem et apostolicam benedictionem. Vidimus electionem dilectorum filiorum Priorum Antepositorum Terrae nostrae Aquependentis de persona tua in eorum Praetorem factam. Quare sperantes quod ea quae tibi comiserimus iuste et laudabiliter exequeris dictam electionem confirmantes Te dictae Terrae Praetorem cum auctoritate facultatibus salarijs emolumentis ceterisque honoribus et oneribus solitis et consuetis ad sex menses post finitum tempus aliorum electiones et brevia desuper haibtenus expedita habentium inchoandos facimus et deputamus per praesentes. Mandantes dictis Prioribus, ut te ad dictum officium eiusque liberum exercitium iuxta tenorem praesentium recipiant et admittant, tibique pareant, faveant, et assistant, et ad quos spectat, ut de salarijs et emolumentis praedictis suo tempore cum effectu respondeant. Contrarijs non obstantibus Quibuscunque. Volumus autem quod officium huiusmodi per substitutum non exerceas, et quod antequam illud exercere incipias de eo iuste et fideliter exercendo, ac de non recipiendo aliquod genus muneris preter esculenta et poculenta, quae triduo consumi possint iuxta formam Iuris communis in manibus dilecti filij Guidonis Ascanij sancti Eustachij Diaconi Cardinalis nostri et sanctae Romanae Ecclesiae Camerarij iuramentum prestes. Datum Romae apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xviij Junij M D L Pontificatus nostri Anno Primo.

Die xxv^a Septembris 1550, retroscriptus D. Galleatius per D. Camillum de Casolis procuratorem seu agentem suum ad id per eum has missivas destinatum, iuramentum in eorum forma suprascriptum [illegible] in manibus R. p. d. Hieronimi episcopi Torcellani Camerae apostolicae clerici propter praesentiam R.mi D. Cardinalis camerarij ab urbe absentis, prestitit.

Hie: de Farano.

Blo. el. Fulgin.

Dilecto filio Galeatio Blasij Cossi de sartiano Terrae
nrae Aquependentis Praetori

ARCHIVIO STORICO ACQUAPENDENTE